



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. II. De Forma Sacramenti Pœnitentiæ seu Absolutione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

## Circà 8. Præceptum.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Falsarius in pane & aquâ pœnitentiam agat, quandiu vivit.

Siquis de proximo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane & aquâ.

## Circà 9. &amp; 10. Præceptum.

Rem alienam nefariè concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis.

Siquis concupiscit fornicari; si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si Presbyter quinque: si Diaconus vel Monachus tres: si Clericus aut Laicus annos duos.

## CAPUT II.

## De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, seu Absolutione.

I. CIRCA modum absolvendi sic habet Rituale Roman. auctoritate Pauli V. editum. Cum pœnitentem absolvere voluerit, iunctâ ei trius & ab eo acceptâ pœnitentiâ salutari, primò dicit.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. Amen.

Deinde



*Deinde dexterâ versûs pœnitentem elevatâ dicit.*

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti; in quantum possum, & tu indiges. *Deinde*: Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

Passio Domini nostri JESU Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ; & premium vitæ æternæ. Amen.

Monet omittendam esse vocem, *suspensionis*, si Pœnitens sit Laicus; & addit in Confessionibus frequentioribus, & brevioribus omitti posse *Misereatur, &c.* & satis esse dicere, *Dominus noster JESUS Christus, &c.* urgente verò gravi aliquâ necessitate in periculo mortis; breviter dici posse, *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, &c.*

II. Forma absolutionis consistit in his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.*

Quare preces & verba quæ hanc formam antecedunt, & subsequuntur, non sunt de illius essentia, ut constat ex Trid. sess. 14. c. 3. Item quamvis omnia verba ista ex præcepto  
exprimi



exprimi debeant, tamen aliqua non sunt de  
essentia formæ, ut ista, *Ego, tuis, Amen.* Sed  
circâ alia dissentiunt Theologi: nam alii ad to-  
tam essentiam assignant hæc duo, *absolvo te,*  
quæ saltem secundum omnes requiruntur:  
quia necessaria sunt ad significandum effe-  
ctum primarium Sacramenti, nempe absolu-  
tionem: absolutio autem est sententia judi-  
cialis, quæ necessariò ad reum dirigitur: & sic  
pronomen *te* exprimi debet. Alii insuper ex-  
igunt voces, *à peccatis.* Imò aliqui, pauci illi  
quidem, addunt etiam, *In nomine Patris & Filii*  
*& Spiritus Sancti,* sed falsò principio nixi, nem-  
pe quia putant formam Sacramenti esse de-  
precativam.

III. Absolutio data sub conditione de præ-  
senti, vel de præterito, valet si illa sit præsens  
vel impleta: quia tunc Sacramentum, & effe-  
ctus non suspenditur. Sed sic collata sine ne-  
cessitate, graviter est illicita; est enim contra  
reverentiam Sacramenti, & usum Ecclesiæ.  
Hinc peccat ita absolvendo. *Si habes veram*  
*Contritionem, vel voluntatem restituendi, Ego*  
*te absolvo, &c.* Si autem dubitetur utrum pœ-  
nitens adhuc vivat, vel an Sacerdos verba ab-  
solutionis protulerit, secundum multos danda  
est absolutio sub hac conditione: *si tu es capax,*  
*vel, si non es absolutus, Ego te absolvo, &c.* ut fit  
in Baptismo.

Absolutio autem data sub conditione de fu-  
turo, est nulla: quia tunc intentio absolvendi,  
& ab-



& absolutio non existit absolute, sed suspenditur: ac proinde nihil efficit; nam non est in potestate Sacerdotis suspendere Sacramentum & ejus effectum, cum Sacramenta producant id quod significant, & significant gratiam presentem dari. Hinc non valet absolutio sic data: *si restitueris, si poenitentiam impleveris, absolvo te, &c.*

IV. Invalida est absolutio data absenti, ut constat 1. Ex praxi Ecclesiae, in qua numquam moribundis absentibus datur etsi sine ea morituris. 2. Ex forma absolutionis, quae subiectum per *lite*, designat praesens, ideoque falsa esset, si foret absens, & quae forma necessario verbis vocalibus constat: nemo autem ad absentem utitur verbis vocalibus.

V. Mortale est absolvere aliquem à peccatis, antequam sit absolutus ab excommunicatione contracta: nam Ecclesia graviter prohibet ne excommunicatus ullum Sacramentum recipiat. Quare is non est verè absolutus ob eandem contritionem & sacrilegium mortale, quod admittit recipiendo Sacramentum contra prohibitionem Ecclesiae.

VI. Ad repetendam absolutionem, requiritur nova Confessio, nam super eadem Confessione non potest absque sacrilegio repeti absolutio: quia caderet super materiam nullam, ideoque irrita esset. Potest tamen repeti super diversa Confessione etiam eorumdem peccatorum; quia Confessio est materia proxima,



xima, peccata autem remota: unde absolutio  
cadet super novam materiam proximam.

## CAPUT III.

De Ministro Sacramenti  
Pœnitentiæ.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De Potestate requisita in Ministro  
Pœnitentiæ.*

Q. i. **A**N requiritur jurisdictio ad absolvendum?

Not. i. Jurisdictio generatim est potestas gubernandi, vel ferendi sententiam in subditos: hinc sumitur pro potestate ferendi sententiam Sacramentalem circa Pœnitentem Confessum. Duplex est ordinaria, & delegata. Ordinaria est ea, quæ alicui competit ratione officii habentis annexam curam animarum, qualem habet Papa in omnes fideles, Episcopi in suos Diœcesanos, Parochi in suos Parochianos, Superiores Religiosorum in suos subditos.

Delegata est ea, quæ committitur Sacerdoti ab eo, qui habet ordinariam. Et acquiritur per expressam, vel tacitam confessionem; nam delegatio est unus ex actibus Jurisdictionis

Tom. I. l.

Cc

ordi-